

Petrus de Vinea

*Ep. II 11 (Etsi stipendiorum
defectus, quem pati uos...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 11 (Etsi stipendiorum
defectus, quem pati uos...)*

circa 1248

Militibus suis, ut de stipendiis non missis non murmurent, promittendo eis prouidere magnifice

1. Etsi stipendiorum defectus, quem pati uos hactenus in seruitiis nostris oportuit, grauis uobis extiterit et infestus, grauitatem eius, si diligenter aduertitis, causa duplex alleuiat. 2. Prima quidem, quod nobis et familiae nostrae necessariorum suffragiis hactenus more solito non porrectis, dum reddit malitia temporis nos subditis super hoc quodammodo non impari necessitate consimiles, possibilem uobis facere debuit egestatem. 3. Secundo, quod dum laborum et necessitatum instantia, de quo uobis teste Deo compatimur, debita consideratione pensatur, ad uestrum cuiuslibet commoda nostrae liberalitatis dexteram, huiusmodi gratitudo seruitii quasi nos per debitum obligauit. 4. Equanimiter igitur defectus preteritos, etsi quem uobis forsan inantea imminere contigerit, sustinere sub certa munerum retributione uos uolumus, cum negotiis nostris istarum partium, quae habemus prae manibus, celeriter et salubriter ordinatis, ad partes ipsas feliciter et infallibiliter gressus nostros dirigere intendamus, sic uestris necessitatibus, tam de stipendiis quam de aliis, prouideri magnifice faciemus, quod uos in nostris perstitisse seruitiis merito delectabit.